De febre loimikei Graecis epidemica ... / auctor Polychronius Demetrius.

Contributors

Demetrius, Polychronius, 1752-
Bose, Ernst Gottlob, 1723-1788.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

Lipsiae : Ex Officina Sommeria, [1778]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/kq8m62n6

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

G 333/P

DE

FEBRE ΛΟΙΜΙΚΗ

GRAECIS EPIDEMICA

AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM COLLEGII

PRAESIDE

D. ERNESTO GOTTLOB BOSE

ANATOMIAE ET CHIRVRGIAE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO FACVLTATIS MEDICAE ASSESSORE
ET APVD LIPSICOS POLIATRO

PRO DOCTORIS IN MEDICINA GRADV

A. D. XXV. MENS. SEPTEMBR. A. C. R. CIↃIↃCCLXXVIII.

DISPVTABIT

AVCTOR

POLYCHRONIVS DEMETRIVS

THRAX

MEDICINAE BACCALAVREVS

LIPSIAE
EX OFFICINA SOMMERIA.

Suppl. YP/DEM

ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ περὶ ἀέρων, ὑδάτων καὶ τόπων.

Καιρὸς εἰδέναι δεῖ τὸν ἰατρὸν τὰ πρῶτα, κράσεάς τε καὶ τόπους.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

347759

§. I.

Inſtituti ratio.

Quandoquidem in ſtudiorum meorum, quae vocant, academicorum curſu emetiendo, quantum ingenii viriumque conceſſus mihi modus permiſit, in ea re omnes contendi neruos, vt idoneis artis medicae, propediem faciendae, tirociniis poſitis, medicus euaderem probabilis, ciuiſque patriae vtilis: ita etiam nunc ad metam ſtudiorum meorum delatus et ad edendum ſpecimen inaugurale animum appellens tale mihi argumentum eligendum et pertractandum eſſe arbitrabar, quod priſtino illi meo conſilio eſſet quam accommodatiſſimum, quodque vitae generi pariter atque locis mox adeundis quam maxime congrueret. Miſſis proinde ingenii ſuauiter delirantis ſpecioſis figmentis, quae neque ſectatus ſum vnquam, neque magni feci, miſſaque ſubtilium quaeſtionum arguta perueſtigatione, cui parne an impar ſim definire non lubet; e media arte ſalutari et ex patriae finibus arripui ſcribendi argumentum. Enarraturus nimirum ſum, quantum noui, diiudicaturusque, quantum valeo, hiſtoriam morbi, inter populares meos haud adeo infrequentis, infrequentioris tamen profecto, quam vulgaris, vel medentium, vel aegrotantium opinio fert; *febris* ſic dictae λοιμικῆς, aut ſi mauis latine dici, *peſtilentialis* ſiue *malignae.* In cuius quidem, aliis quoque regionibus, praeter patriam infeſtae et rarius, ſed aliquando tamen vere σποραδικῶς; ſaepius autem, tumque grauius, ἐπιδημικῶς graſſantis explicatione et illuſtratione, quamuis nouerim optime verſatos eſſe ſummos in arte viros; inter quos ex recentioribus laudandi inprimis ſunt SYDENHAMVS, STAHLIVS, RIVINVS, HVXHAMVS, PRINGLIVS, SWIETENIVS, GRANTIVS, etc. hinc, quae ego morbo depingendo addam, parca omnino et fere nulla ſu-

 perſint;

perſint; atque proinde totum hoc meum inſtitutum carpi omnino et vituperari forte a maleuolis iudicibus poſſit: nihilo tamen minus ſpero, non defuturos eſſe beneuolos conaminum noſtrorum aeſtimatores, qui nec pauca quidem iſta, quae nos apponere forte potuimus, ſpernant; probent e contrario voluntatem illam meam, qua vtrum morbo tali cognoſcendo et diiudicando, nec non auctoribus grauibus conſulendis et cum obſeruatis propriis comparandis, atque adeo arti inter populares faciendae ſuo modo idoneus ſim, etiam hac ſcriptione experiri anniſus ſum. Omnem autem tractationem ita ſum adornaturus, vt, praemiſſa febris λοιμικῆς hiſtoria, ceu ἐπίκρισιν addam primo caput pathologicum, quo αἰτιολογίαν, διάγνωσιν, et πρόγνωσιν comprehendam, atque deinceps caput therapeuticum, ceu alteram partem diſſertationis, qua προφύλαξιν, θεραπείαν, conualeſcentiumque refectionem explicabo.

§. II.

Hiſtoria febris λοιμικῆς.

Vt igitur a febris huius, quam in anteceſſum λοιμικὴν appellare liceat, hiſtoria ordiamur: morbus iſte nunc poſt vehementes diaetae errores homines tantum ſolitarios, inprimis laxos, teneros, cacochymicos, aduenasue climati inſuetos, nunc poſt anni temporum vehementiores iniurias α), hiemem gelidiſſimam et niuibus ſolito abundantiorem, ver pluuioſum et aeſtatem aeſtu ſicciſſimo, aut inconſuetiori tepiditate

α) ΙΠΠΟΚΡ. περὶ ἐπιδημιῶν νόσων. Τομ. β'. Τμημ. γ'. Ενθα ὁ συγγραφεὺς πολλὰ ἄλλα νοσήματα ἐπαριθμεῖ, ὧν ἡ τε περιέχοντος τότε μόνη νοσηρὰ καὶ λοιμώδης κατάςασις παραίτιος ἐγένετο· ἐ μὴν ἀλλὰ καὶ τε ΓΑΛΗΝΟΥ εἰς τὸ τρίτον τῶν ἐπιδημιῶν τε ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ὑπόμνημα τρίτον· παρὰ ταῦτα ἀναγνωςέον ἐπιμελῶς τὸ καθ' ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΝ χρυσῆν ἐκεῖνο ἐκπόνημα περὶ ἀέρων, ὑδάτων καὶ τόπων, εἴ τις ἐθέλοι τῶν ἐπὶ σηπεδόνι πυρετῶν γνῶσιν λαβεῖν ἀρίςην· ἐκ ἀμελητέος ἐν τέτοις ὁ ΓΑΛΗΝΟΣ, καὶ μάλιςα τὸ περὶ διαφορᾶς πυρετῶν, ἐπὶ τέτοις τὸ ἔνατον καὶ ἑνδέκατον βιβλίον τῆς θεραπευτικῆς αὐτε μεθόδε.

ditate humida moleſtam, plures ex populo ſimul adoritur, alios quidem ſubita copioſiſſimorum ſymptomatum vehementia, alios inſidioſa ratione et tali, vt languentibus potius quam aegrotantibus ab initio ſimiles videantur; omnes vero repentina cum proſtratione virium, animique ſingulari deiectione. Per omnia corporis membra ingens effuſa laſſitudo eſt; artuumque tanta debilitas offenditur, vt a genubus vacillantibus vix corpus ſuſtineri queat. Torpent manus ad leuiſſimos quosuis motus, et ne caput quidem aliquando erectum ſeruari poteſt. Eſt praeterea homo moroſus, triſtis, lacrymabundus, timidus, de ſalute recuperanda deſperans, oblivioſus, pertinacibus peruigiliis, aut comatoſis et lipothymicis inſultibus obnoxius. Totum corpus quaſi poſt vehementem contuſionem grauatiuo dolore occupatur, capitis vero nunc anterior pars tantum, velut in grauedinoſis, nunc poſterior cum frigida macula, vt in hyſtericis, nunc totus ambitus dolore tenſiuo grauatiuo, tractorio, pulſatorioue afficitur. Omnium ciborum, praeſertim carnium appetitum delet nauſea inſuperabilis. Aluus in aliquibus pertinaciter obſtructa, in aliis e contrario ſoluta et fuſa eſt. His vtplurimum, quamuis non in omnibus, praecedentibus ſymptomatis accedunt tandem febrilia, quae imperitiores fallere adeo nonnunquam poſſunt, vt intermittentem febrim adeſſe opinentur, morbo longe truculentiore imminente. Nimirum, veſpertino inprimis tempore horripilatio et frigus hominem inuadit. Grauior mox conſequitur aeſtus febrilis, viriumque omnium tanta exſolutio naſcitur, quam vnice comparare poſſis cum inſigni animi deiectione et inquietudine. Sub frigore, quod etiam aliquando aeſtum intercurſat, non minus atque ſub aeſtu dolores in nonnullis tendentes ſunt ad dorſi ſpinam et artus fere intolerabiles. Artus quandoque frigent, pallentque, reliquo toto corpore aeſtuante. Cephalaea nunc praegrandis vrget, praecordia anguntur, interna corporis penetralia ardent. Somnus iam nullus eſt, vel interruptus. Mens vacil-

lans. Sermo delirantis, quem fere antecedere ſolet arteriarum capitis, maxime temporalium pulſatio, carotidum fortis vibratio et aurium tinnitus. Pulſus plerumque cum celeritate febrili debilis et paruus, nonnunquam fortis, immo durus, et tenſus eſt. Lingua primis morbi temporibus ſicca et albicans, in progreſſu morbi ex atro rubet, in paucioribus pura eſt. Oculi, qui ſaepe cum orbitis dolent, tumidi ſunt crebro et vel aquoſiores languent, vel flauicant, immo paululum rubent. Vultus metuentis; aures labiaque pallent; facies quaſi mixti coloris; vox tremula, debilis et preſſa. Sapor oris ingratus; odoratus alienatus et foetore infeſtatus. Exſcreatio et emunctio, frequens, quaſi hominis ingrati quid a ſe defenſuri. Sitis non multa, quandoque tamen inextinguibilis. Spiritus ductio plerumque praepedita eſt, et ſuſpiriis interrupta. Anima calet, et vtplurimum foetet. Lipothymiae et animi deiectio mirum in modum et ſubito hominem affligunt, nulla quoque inſolita excretione praegreſſa et in iis ipſis aegris, quorum pulſus ſatis adhuc fortis eſt. Haud raro aeger in regione ſcrobiculi cordis ardorem, oppreſſionemque ſentit, tuncque conatus vomendi, immo evomitio adeo materiae bilioſae, porraceae vel atrabiliariae nauſeoſiſſimae atque moleſtiſſimus ſingultus accedunt. Sunt quoque, quos tormina et teneſmus, aut diarrhoea cum crebro, aut tandem ne animaduerſo quidem ſeceſſu, vel materiae olidae viridescentis, fuſcaeue, vel mucoſae putridae et ſanguinem referente colluuie remixtae, vel etiam brunae, flauaeque conficiant. Vbicunque haec ſymptomata vrgent, vrina ſaturatior eſt, ſaepe ex atro ruffa, abſque ſedimento, poſt emiſſionem tamen ſubito turbida, et quae facillime putredinem ſubit; in aliis, qualis et ſub frigoris febrilis inſultu redditur, cruda, tenuis, aquoſa, inodora, citrinaue; in aliis craſſa, turbida, et iumentoſa fuſca, vappidae cereuiſiae ſaturatiori brunae ſimilis, immo adeo nigra occurrit, cum haud ita frequente ſedimento atro et quaſi fuligineo. Sanguis ſicubi erumpit, vt ex naribus

ribus aut muliebribus, diſſolutus apparet et paucarum guttarum eſt. Cutim nunc ſiccam, nunc viſcido ſudore, ſed ſine leuamine erumpente madentem, in progreſſu morbi, tempore tamen incerto, neque in omnibus quidem, in aliquibus tamen exanthemata pingunt maculoſa, rubra, aut liueſcentia, exaſperantue puſtulae albicantes aut ruffeſcentes; et in faucibus aphthae albicantes, flauicantes lardaceae, aut adeo fuſcae erumpunt, quae deglutitionis exercitium reddunt difficillimum, doloroſumque. Accedit ex ſimili, vt videtur, corruptione in nonnullis ſingultus et diarrhoea dyſenterodes cum gangraena inteſtinorum. Neque tacenda ſunt peſſima ſymptomata, inuoluntarius nimirum faecum aluinarum et lotii ſeceſſus, ſubſultus tendinum, tremor, conuulſiones et vibices in vniuerſo corpore paſſim progerminantes, quae mortem plerumque praecedunt. Tot tamque variis ſymptomatis enarratis conſpicua febris, fauente inprimis aëris epidemica conſtitutione, contagioſa quoque euadit, et ad plures, eiusdem inprimis domus incolas, aut propinquitate aegroto iunctos dimanare ſolet; et quamuis nunquam bubonibus et anthracibus ſtipata deprehenditur, tamen peſtem veram his tumoribus inſignem et praecedit nonnunquam, et illam adeo profligatam inſequitur β). Affligit quidem homines tum ruſticos, tum vrbicolas, eſt tamen in vrbibus et oppidis populoſioribus, paludoſis et humiliter ſitis longe frequentior, diuturnior et grauior. Trahitur aliquando ad plures ſeptimanas, aliquando intra paucos dies necat. Omnia autem, quae hactenus retuli, tum ipſe vidi, tum ab artis medicae peritis, qui inter populares diu verſati ſunt, accepi. Quicquid defuerit hiſtoriae morbi, id propter graues cauſas ſubſequentibus ſectionibus illatum inuenient lectores.

CA-

β) Conf. THOM. SYDENHAMI Opuſcul. med. Sect. II. de febre peſtilentilai et peſte. Cap. II. *Lugduni Batauor.* MDCCXLI.

CAPVT. I.

DE FEBRIS ΛΟΙΜΙΚΗΣ PATHOLOGIA.

§. III.

Ostenditur esse febrim malignam et pestilentialis nomine dignam.

Quae cuncta satis, vt puto, confirmare videntur febrim hanc non solum inter *malignas* referendam, sed adeo λοιμικῆς siue *pestilentialis* nomine compellandam esse. Quodsi enim γ) κωματώδεες, κοπιώδεες, ἀχλυώδεες, ἄγρυπνοι ἐφιδρῶντες πυρετοὶ ex HIPPOCRATIS effato κακοήθεες sunt: si porro καρδίης πόνος ἅμα ὑποχονδρίῳ συντόνῳ καὶ κεφαλαλγίῃ, κακόηθες: sin denique ex GALENI definitione, κακοήθης πυρετὸς ἐςὶν ὁ δυνάμει μὲν μέγας καὶ χαλεπὸς, φαντασία δὲ ἀσθενὴς ὐκ ἔχων χρόνος κρίσεως ὡρισμένος δ): nihil omnino certius est, quam descriptam febrim malignis annumerandam esse, quippe cui haec omnia inesse ex prioribus intelligitur. Quodsi porro ex SYDENHAMI ε) atque GRANTII ζ) doctrina, subita et sine manifesta causa accidens virium prostratio et meticulositas aegri; vultus anxietatem prae se ferens, oculorum illacrymatio et dolor tractorius, labiorum et aurium pallor, vultus variis quasi coloribus pictus, vox tremula, debilis et pressa, capitis grauitas, vertigo et dolor η), occipitium inprimis affligens, frigus vehemens cum dolore et lassitudine totius corporis, maxime vero lumborum et surarum ingrata affectione; porro nausea, tormina, et ventris inquietudo, nec non gustus et odoratus adeo alienatus, vt aegrotus ipse emungendo, exspuendo, exscreando et omni modo foedi quicquam reiicere et defendere a se velle videa-

γ) ΙΠΠΟΚΡ. προρρητικὸν Βιβλ. α'. Τμημ. β'. κεφ. 74. κτ.

δ) ΓΑΛ. ὅρος ἰατρικὸς περὶ κακοήθους νοσήματος.

ε) SYDENHAM. l. l.

ζ) GRANT. *Neue Beobachtungen über die ansteckenden* etc. *Katarrhalfieber, aus dem engl. Leipz.* 1778.

η) HVXHAM. tractatus de putrid. malign. et petech. febr. tom. II. p. 94-120. Edit. Lips.

videatur, febrilibus ceteroquin ſymptomatis accedentibus febrim malignam adeſſe commonſtrent: de malignitate deſcripti morbi nullo modo poterit dubitari. Vtrum vero a noſtratibus λοιμικὴ recte dicatur, id paucis adhuc ediſſerendum eſt. Idem autem ſibi vult haec denominatio, quod veterum λοιμώδης πυρετὸς i. e. *febris peſtilentialis* ϑ); neque enim peſtim ipſam, quam nobis λοιμὸν dici ſatis quidem notum eſt, eo nomine indicabant, quemadmodum praeter alios acriter hac de re contendentes IO. GORRAEVS arbitratur ι), λοιμὸν, inquiens, *dicere an* λοιμώδη πυρετὸν *ſiue* νόσον, *nihil intereſt; non enim aliud febris peſtilens eſt, quam ipſa peſtilentia*; ſed, vt ipſe iam GALENVS τοῦ λοιμοῦ et λοιμώδους πυρετοῦ diſcrimen docuit, vere inter ſe inuicem differunt. Et quamuis per errorem vulgus λοιμικὴν admodum expaueſcentis non minus ac per imperitiam nonnullorum medicorum accidat, vt λοιμικῆς nomen febres quaevis acutae, indomita ſymptomatum ſaeuitie furientes ſortiantur, pro vocabulo tamen inani et ambiguo propterea nullo modo habendum, ſed illi febrium generi imponendum eſt, quod etſi peſtim ipſam non ſiſtit, cum eadem tamen proxime conuenit. Quodſi inſignem illam μικροϑυμίαν et ἀσϑένειαν, qua hoc morbo affecti laborant, nec non contagioſam ipſius indolem animo perpendimus, nullus morbus eſt, qui peſti exactius reſpondeat κ); a qua ſola bubonum et anthracum abſentia diſtingui poteſt.

§. IV.

ϑ) ΓΑΛ. ὅρ. ἰατρ. Ἐν οἷς αὐτὸς περὶ λοιμῶν καὶ λοιμώδους πυρετῶν ἔτως ὡρίσατο· λοιμὸς ἐςὶ νόσημα ἐπὶ πάντας ἢ τὰς πλείους παραγινόμενον ὑπὸ διαφθορᾶς ἀέρος, ὥςε τὰς πλείςους ἀπόλυσθαι· περὶ δὲ τῶν λοιμώδους πυρετῶν ὁ τ' αὐτὰ, ὁδὲ τὸ αὐτὸ τέλος λαμβάνοντα σημεῖα ἀπεφήνατο· λοιμώδης (φησὶ) πυρετὸς ἐςὶν ὁ μετὰ πολλῆς θερμασίας δίψος ἀθεράπευτον ἐπιφέρων, δυσώδεις κοιλίας, ἐκκρίσεις· ἔρα πολλὰ καὶ δυσώδη, σφυγμὰς μικρὰς καὶ ἀμυδρὰς.

ι) Conſ. Eius Definit. medic. voc. λοιμός.

κ) SYDENHAM ibid. p. 106. ſqq.

§. IV.

Docetur λοιμικὴν vel ſimplicem eſſe poſſe, vel cum aliis febrium generibus complicatam.

Eſt autem noſtra febris λοιμικὴ, prout ex hiſtoria eiusdem ſatis eluceſcere arbitror, cum aliis morbis haud raro complicata, hinc enim mira illa in variis corporibus ſymptomatum varietas vnice explicari poteſt. Nimirum ſi quando illa tantummodo ſymptomata occurrunt, quae paragrapho praecedente commemorauimus, *ſimplicem* λοιμικὴν adeſſe ſtatuendum eſt; Quotiescunque vero cum iisdem coniunguntur pulſus cum celeritate durus, aeſtus et ſitis grauior, rubor faciei et cutis ſiccitas: *inflammatoriam febrim* cum λοιμικῇ complicatam eſſe, quis eſt, quin videat? Quoties porro vomitus bilioſus, aut bilioſo putridus copioſus, deiectiones olidae virideſcentes aut mucoſae putridae, aluusue adſtricta dolens et inflata, lingua mucoſa, flauicansue aut vtcunque impura, cutis viſcido ſudore foetidoque, ſed ſine leuamine madens, vrina ſaturatior, ex atro ruffa, craſſaue, turbida et iumentacea, vel ſub ipſo initio hypoſtatica, ſanguis hinc inde erumpens diſſolutior, os amarorem, putridumue reſipiens, oculus flaueſcens aut rubore ſuffuſus, pectus vehementius oppreſſum, ſuperficies corporis calore inter tangendum augeri viſo, ardens, exanthematisue petechialibus diſtincta, faucesue aphthis obſeſſae occurrant, atque inſuper maligna illa ſymptomata his iuncta inueniantur, aut *bilioſam*, aut *bilioſo - putridam*, *putridam*ue aſſociatam eſſe τῇ λοιμικῇ, nullus, puto, dubitabit. Ita denique cum λοιμικῇ febre, *febris intermittens*, aut *ſynochus*, aut *catarrhalis*, *morbus*ue *dyſentericus* complicari poſſunt, ſiquidem horum morborum ſymptomatis malignae febris ſymptomata accedant.

§. V.

Cauſſa λοιμικῆς proxima.

Iam peſſimi huius morbi cauſſa proxima indaganda venit, eo difficilius vtpote inuenienda, quo ſubtilior eſſe videtur,

tur, quoque plurium aliorum morborum conſortium non reformidat. Niſi autem me omnia fallunt, admodum tenerum quoddam miaſma, ſanguini humoribusque admixtum aſſumendum eſt, quod huius febris proxima quaſi genitrix ſit λ). Etenim ſubita illa virium proſtratio, quae ἄνευ φανερῆς προφάσιος, et ſine alia omni cauſa manifeſta hominem adoritur, animusque anxio metu diſtractus, neruos inprimis affici et in arce quaſi ſua animum obſideri, atque adeo ad ſubtiliſſima corporis vaſa maxime peregrini quicquam penetraſſe, luculentiſſime teſtantur: neque vero a ſimplici corporis aegri neruoſa imbecillitate horum ſymptomatum malignorum explicationem repeti poſſe, ſed materiale quoddam miaſma ſtatuendum eſſe, nonne contagioſa huius morbi indoles declarat, illudque phaenomenon, quod ne validiſſimi quidem ab illo morbo tuti et immunes reperiantur? Accedit et hoc argumentum, quod ex fida narratione amicorum et ex mea ipſius obſeruatione petitum eſt, nimirum aliquando ſudorem vel natura motum, vel arte excitatum λοιμικῆς febris, iamdum ſemet in omni ſaeuitia poſt conſuetudinem hominis alioquin ſani cum aegroto tali manifeſtantis, impetum non ſolum infregiſſe, ſed veſtigia adeo deleuiſſe omnia, hominemque priſtinae integritati reſtituiſſe. Neque vero appareret, quomodo ſudor arcere morbum et profligare, vel hominem ſanitati reddere poſſet, niſi id fieret tenuiſſimi cuiusdam miaſmatis, neruos antea opprimentis, atque per tenera vaſa cutis perſpirabilia tranſire apti, expulſione. Quodſi vero de indole huius miaſmatis quaeratur, maior longe reſponſionis difficultas ſubeſt. Quid enim magis arduum foret, quam rei vltra omnium ſenſuum aciem tenerae naturam inueſtigare? at enim vero etiamſi chemicis disquiſitionibus ſubtrahat ſeſe miaſmatis huius ſubtilitas: ſymptomata tamen morbi, quem

 produ-

λ) SYDENHAM. Sect. V. C. V. de Tuſſ. epid. p. 248. ſeqq. nec non HVXHAM. Tom. III. diſſ. de angin. malign. p. 116.

producit, videntur putridam eiusdem indolem ſatis abunde declarare. Conſentientem habemus in hac re GALENVM, qui ſtatuit: πάντες οἱ λοιμώδεις πυρετοὶ ὑπὸ σηπεδόνος γίνονται· ἡ δὲ ἀρχὴ τῆς σηπεδόνος ἤτοι πλῆθός τι νεκρῶν ἐςὶ, μὴ καυθέντων, ὡς ἐν πολέμοις εἴωθε συμπίπτειν, ἢ ἐκ τελμάτων τινῶν, ἢ λιμνῶν ἀναθυμιάσεως ὥρα θέρους μ). Nimirum inter omnes corporis noſtri neruos nulli ſunt, qui putredinis iudices peritiores reperiantur, praeter neruos olfactorios atque guſtatorios. Itaque per totum corpus diffuſa materiae morbificae vis omnes quidem neruos inſidioſa obſeſſione opprimit, hos vero neruos olfactui et guſtui dicatos fallere nequit, nec qualis ſit, reticere poteſt. Quamcunque auram exſpirat aeger, eam putridus inquinat foetor: ipſique aegri, quod narrauimus, ſapere et olfacere ſibi videntur putridi quicquam, quod exſcreando et emungendo defendere a ſe incaſſum annituntur. Forſitan autem illud ipſum putridum halitus oris principium non tam teſtis eſt naturae cauſae proximae, quam potius proximus eiusdem effectus. Forte morbum noſtrum producit non tam miaſma quoddam putridum, quam potius tale, quod putredini in humoribus euoluendae vehementer faueat? Quamuis vero in putrido putredinis verum fermentum ſit: nolumus tamen valde repugnare, ſi quis alius naturae miaſma illud eſſe ſtatuat, modo admittat, eo ipſo humores tenuiſſimos peſſundari et ad putridam corruptionem diſponi. Minime omnium audiendi erunt, qui arſenicale ν) aut ſimile venenum ponunt; ſed probabilior eſt ſententia, qua ſtatuitur natura eius cauſae eſſe acris, volatilis, penetrans, alcaleſcens et narcotica ξ), eſſeque nil niſi ſalium animalium ſumme volatilium et attenuatorum, aut, vt vocant, exaltatorum congeries ο). Interim mitius λοιμικῆς febris

μ) GALEN. περὶ διαφορᾶς πυρετῶν. Βιβλ. α'. κεφ. β'.
ν) Conf. A. Q. RIVINI Diſputation. Medic. Lipſ. 1710. 4. p. 839.
ξ) Conf. GRANTII libellum ſupra laudatum. pag. 19.
ο) HVXHAM. de angin. malign. pag. 116.

bris miaſma eſſe videtur, quam τȣ̃ λοιμȣ̃: quandoquidem citius et felicius ex corpore eliminari, neque adeo tenaciter lymphae inhaerere, neque proinde in lymphaticis glandulis tumores et exulcerationes excitare ſolet, vt peſtis venenum. Quomodo autem inuicem diſcrepent, definire, vt arduum eſt, ita equidem non audeo: ſed vtpote μυςήρια τῆς Φύσεως haec τῇ Φύσει relinquens, ad eas potius cauſas enucleandas me conuerto, quae vt remotae ad talem corruptionem producendam idonea pollere videntur efficacia.

§. VI.

Cauſae λοιμικῆς remotae.

In hiſtoria morbi antea relata narrauimus, aliquando λοιμικὴν contagio ad ſana corpora redundare, aliquando vero ſine omni contagio π) ex aegris ad ſanos translato, corpora noſtratium inuadere. Quemadmodum igitur in priori caſu ipſius hominis halitum et perſpirationem miaſmate morbi impraegnatam, omnem aërem vicinum adeo inquinaſſe ſtatuendum eſt, vt per vias pneumonicas, cibarias, et cutaneas ex eodem prauae et ſubtiles particulae corpori alii, ſiue ſano, ſiue languenti inſinuari poſſint: ita in altero caſu ponendum erit, vt cauſis internis externisue variis ſauentibus humores corporis hanc adeo perniciosam mixtionem ſortiantur. Quum vero integri nerui ſint cuſtodes valetudinis vigilantiſſimi, aequabilisque et blanda humorum recte elaboratorum per vaſa corporis quaeuis diſtributio omnem corruptionem arceat, praeſertim, ſi aëris puri pulmonibus inſpirati et corpori circumfuſi beneficio ſecretio perſpirabilis materiei proſpere ſuccedit, et a corporis intimis penetralibus perniciosarum particularum acceſſus defenditur: videntur omni-

π) Vid. Comment. SWIETENII ſuper aphor. BOERHAAVII. Tom. IV. pag. 298.

omnino ad miasma τῆς λοιμικῆς in proprio corpore praeparandum non nisi illi apti esse, quorum vis neruosa debilitata fuit; quorum humores particulis male mixtis referti inaequaliter per corpus diffunduntur ρ); quorum denique perspiratio et inhalatio, tum in pulmonibus, tum in habitu cutaneo, ob aëris externi incommodam temperiem deprauata est. Etiam in superioribus inter alia notauimus, corpora inprimis tenera, laxa, atque adeo debilia, nec non cacochymica huic morbo saepe epidemico succumbere. Possunt autem vim neruosam laedere et infringere excretiones humorum nimiae, vt spermatis per venerem frequentiorem σ), aut humorum digerentium per drastica purgantia, potissimum tempore feruidiore τ) administrata, aut sanguinis ipsius per intempestiuas venaesectiones; animi commotiones vehementiores, maxime tristes, vt timor magnus, tristitia diuturna υ), anxietas aerumnosa; denique humorum deperditorum non reparata iactura; quam reparari non patitur, siue victus oligotrophus et dyspeptus, siue annonae caritas, siue denique voluntarium et diuturnum ieiunium φ). Possunt particulis male mixtis inficere humores, mala digestio et cruditates inde in primis natae viis; quibus cruditatibus gignendis admodum fauent ciborum copia et varietas, eorundemque ingestio liberalior in ventriculum, quem vel diuturna abstinentia ab eo cibi genere

ρ) V. SWIETEN. Comment. Tom. V. pag. 186.

σ) Conf. LVDWIGII Instit. Medic. clinic. de febr. continentib. §. 239.

τ) ἸΠΠΟΚΡ. ἀφορ. ε'. Τμημ. δ'. ὑπὸ κύνα καὶ πρὸ κυνός ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι· ἐκπεπυρωμένη γὰρ κατὰ ΓΑΛΗΝΟΝ ἡ φύσις ἡμῶν οὖσα τηνικαῦτα, τὴν ἀπὸ τῶν καθαρτικῶν ἐκ οἴσει δρομύτητα. διὸ καὶ πυρέττουσι πολλοὶ τῶν ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ καθαρθέντων, ἀσθενής τε οὖσα ἡ δύναμις διὰ τὸ καῦμα, προσκαταλυθήσεται τῇ καθάρσει. κτ. ὅρα τὸ ὑπόμνημα αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτὸν ἀφορισμόν.

υ) GALEN. περὶ διαφορᾶς πυρετῶν Βιβλ. α'. κεφ. γ'. ὅτι μεν ἔι ἐπὶ κόποις, καὶ θυμοῖς, καὶ λύπαις, ἐγκαύσεσί τε καὶ ἐμψύξεσι, καὶ ἀγρυπνίαις, καὶ ἀπεψίαις, καὶ μέθαις καὶ πλησμοναῖς ὁρῶνται πυρέττοντες ἔνιοι, πᾶσιν εὔδηλον ἐςί. κ.τ.λ.

φ) BOERHAAVE instit. medic. Aphor. 757. de inedia.

nere alienauit, vel praecedens victus relaxans et inuiſcans debilitauit, porro ciborum dyſpepta indoles, vel adeo corrupta iam et putrida; defectus recentium vegetabilium, panis boni, ſacchari, vini et aliorum fermentatorum et antiſepticorum; vita deſes, aut laborum, quibus corpus aſſuefactum fuerat, interceptum et negatum exercitium; imminuta aut inhibita perſpiratio, aut ſuppreſſus adeo ſudor χ); maxime omnium vero aëris ſubitae viciſſitudines ψ), aeſtas et humiditas, et effluuiorum putridorum abundantia ω). Iam vero his omnibus cauſis noſtrates expoſiti viuunt. Plerique ex iisdem in climate calidiori degentes, ſunt vt omnes, quos propior phoebus colluſtrat, ingenio feruidi, temperamenti calidioris et animi pathematum alacriorum. Indulgent, quos fortuna eminentiori facultatum aut dignitatum faſtigio collocauit, ingluuiei et mirae ciborum varietati, adeo vt, niſi quotidie plus quam quindecim ſpeciebus ciborum diuerſis reficere

χ) Conf. LVDWIG ſupr. laud. libell. §. 124. et 239.

ψ) ΙΠΠΟΚΡ. περὶ ἀέρων, ὑδάτων καὶ τόπων. Ην μὲν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἦρ ἔπομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τὸ θέρος πυρετῶδες γίνεσθαι — ὁκόταν γὰρ τὸ πνίγος ἐπιγένηται ἐξαίφνης, τῆς τε γῆς ὑγρῆς ἐούσης ὑπὸ τῶν ὄμβρων τῶν ἐαρινῶν, καὶ ὑπὸ τοῦ νότου, ἀνάγκη διπλόον καῦμα εἶναι — ἐ γὰρ οἷόν τε τοῦ ἦρος τοιούτου ἐόντος, μὴ ἐ πλαδᾶν τὸ σῶμα, καὶ τὴν σάρκα, ὥςε τοὺς πυρετοὺς ἐπιπίπτειν ὀξυτάτους ἅπασι, μάλιςα δὲ τοῖσι φλεγματίῃσι — περὶ δὲ τοῦ ἀνύδρου θέρους τοιάδε ἀποφαίνεται. ἢν δὲ βόρειον ἢ τὸ θέρος καὶ ἄνυδρον, καὶ μήτε ὑπὸ νύκα ἔπομβρον, μήτε ἐπὶ τῷ ἀρκτέρῳ, — — τοῖσι χολώδεσι πολεμιώτατον. — — τὸ μὲν γὰρ ὑγρότατον τοῦ αἵματος καὶ ὑδαρέςατον ἀποξηραίνεται, καὶ ἀναλίσκεται, τὸ δὲ παχύτατον καὶ δριμύτατον λείπεται.

ω) Τοῦ αὐτοῦ ἐν τῷ αὐτῷ βιβλίῳ περὶ τῶν λιμναίων τόπων. Ὁκόσα μὲν ἂν ἐςὶν ἑλώδεα ὕδατα, καὶ ςάσιμα, καὶ λιμναῖα, ταῦτα ἀνάγκη τοῦ μὲν θέρους εἶναι θερμὰ, καὶ παχέα, καὶ ὀδμὴν ἔχοντα — ἅτε ἐκ ἀπόῤῥυτα ἐόντα, ἀλλὰ τοῦτε ἐπομβρίου ὕδατος ἐπιτρεφομένου αἰεὶ νέου, τοῦτε ἡλίου καίοντος, ἀνάγκη ἀχρόατε εἶναι καὶ πονηρὰ καὶ λολώδεα· ὧν ἡ σηπεδονώδης ἀναθυμίασις, καὶ ταῦτα ὥρᾳ θέρους φθορᾶς τινὸς ἐν τῷ περιέχοντι αὐθὺς ὅσον πρόξενος ἀποκαθίςαται· ὅθεν καὶ σηπεδονώδεις πυρετοὺς ἐν τοῖς τοιούτοις τόποις ἀπογενᾶσθαι ἐδὲν θαυμαςόν. ὅρ. ΓΑΛΗΝ. περὶ διαφ. πυρ. Βιβλ. α'. κεφ. 6'.

cere palatum poſſint, felicitati ipſorum quamplurimum detractum eſſe autument. Superingerunt his vina calidiora et ſpirituoſos liquores aromaticos tam affatim, vt robur corporis, cui augendo ſtudent, longe magis deprimatur; et crudorum humorum praua mixtio ſub exaeſtuatione per ſpirituoſa potulenta in deteriorem abeat. Neque enim haec cum iis pugnare putandum eſt, quae antea diximus de vini defectu λοιμικῆς geneſi fauente. Nam modicus vini vſus reficit, immodicus peſſundat. Solent quoque largiter ingurgitare noſtrates, maxime turcae, potus quoddam genus, quod turcico vocabulo *Serbeti* dicunt, ex muſto vuaceo ad ſapae conſiſtentiam incocto, in aquae, quae palato placuerit, quantitate diſſoluto, hanc ſolutionem per glaciem immiſſam gelidiorem redditam ingerunt vtplurimum in corpus, laboribus, exercitiis gymnaſticis, balneis, aeſtuue ſolis concalefactum. Et quamuis non proxime poſſim miaſmatis λοιμικῆς productionem inde deriuare, videtur tamen ad ventriculi robur deiiciendum, ad cruditates humorum ſanguini ingignendas et ad perſpirationem ſupprimendam, atque adeo ad morbi fomitem ſiue alendum ſiue excitandum quamplurimum conferre poſſe αα). Iam vero cum hac tot cibos totque potus ingerendi con-

αα) Τὰ δὲ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυςάλλων ὕδατα πάντα πονηρά· ὁ αὐτός. τοῖς γὰρ τοιαῦτα εἰς πόσιν ὕδατα ἀκρίτως χρωμένοις, καὶ μάλιςα ὥρᾳ θέρους, ἐχ ἓν, ἀλλὰ πολλὰ, καὶ ταῦτα διάφορα κατὰ τὰς διαφόρους κράσεις κακὰ ἐπιγίνεσθαι ἐς ἀεὶ ἰδεῖν ἔχομεν· τὸν μὲν γὰρ αὐτῶν βήσσοντα ἀκούομεν, τὸν δὲ διὰ ςόματος αἷμα ἀναφέροντα διὰ τὴν ἀθρόαν καὶ χανδὸν ψυχρᾶ πόσιν, καὶ ταῦτα τᾶ σώματος θερμαινομένᾳ, ὁρῶμεν· καὶ ὁ μὲν πόνῳ συντόνῳ περὶ τὸ ςῆθος, ἢ ἐμφράξει βαρεία καὶ ἐπιπόνῳ ἐν ἄλλοις τᾶ σκήνεος αὐτᾶ μέρεσιν ἐνοχλεῖται, ὁ δὲ φόβᾳ δυσπεψίας, ἢ βραδυπεψίας κατέχεται· ἢ τελευτῶντες εἴπωμεν κατὰ ΓΑΛΗΝΟΝ, ἐπὶ ἀπεψίᾳ ἤγε καὶ ἀτροφίᾳ μεμψιμοιρᾶντι ἐοικότες εἰσί. καὶ ἄλλον ἄλλοις ἐκ τοιάτων πομάτων πάσχειν κακοῖς, μαρτυρεῖ μοι τῷ λόγῳ ὁ περίπυςος καὶ ἔξοχος παθολογέντων ἁπάντων ΑΡΕΤΑΙΟΣ. περὶ εἰλεᾶ ξυνεχὴς μὲν διαφθορὴ σιτίων πολλῶν καὶ ποικίλων — — ἢ ψύξις, ἢ ψυχροποσία ἐφ' ἱδρῶτι ἄδδην ἢ χανδόν· περὶ δυσεντερίης καὶ συνάγχης. ἀτὰρ καὶ πληγὴ, καὶ ψύξις, καὶ ψυχροποσία τίκτασιν ἕλκεα. κτ. ἐπειδήπερ ἓν, ὡς φθάσαν δέδεικται, ἐκ τοιάτων ψυχρῶν ὑδάτων καὶ μάλιςα

consuetudine non nisi male conuenimunt ieiunia illa nonnullorum religiosa, omnem modum fidemque excedentia, non vnius forte diei, sed aliquando trium integrorum dierum, ad summam debilitationem vsque continuata; et vicissim post longam inediam ventriculi subitaneae repletiones per cibos eo difficilius digerendos, quo diutius iis homo caruerat. Neque inferioris conditionis homines prorsus ab his vitiis vacui sunt: namque et inter hos multi gulae et opinionibus indulgent, nuncque cibis duris difficulter coquendis infarciunt ventriculum, nunc spirituosis liquoribus digestionem perturbant, nunc ieiuniis immodicis corpus eneruant, et sanguinis proinde corruptionem alliciunt, quatenus benefici chyli inuoluentes particulas ad sanguinem, repetitis circulationibus, secretionibus, excretionibusque sensim acriorem factum, temperandum et mitigandum accedere inedia tam diuturna prohibent. Neque desunt, qui quum incommoda ex vitae genere et diaetae his vitiis oriunda experiantur grauiora, auxiliis parum aptis et corporis vires magis debilitantibus venaesectionibus, catharsi drastica, emesi, diaphoresi, et similibus velint naturae et valetudini succurrere, virium autem faciant eo ipso maiorem iacturam.

§. VII.

Prioris argumenti continuatio.

Facile autem largior, ex solis hactenus commemoratis diaetae vitiis, crudos humores et virium debilitatem gignentibus, aeque ac ex vita deside, qua non pauci delectantur, tam pestiferae corruptionis exortum non posse explicari. Quapropter memor obseruationis tritae et antea iam laudatae, quod

λιχα κρυχάλλων, περὶ ὧν ἐξαιρέτως ὁ νῦν λόγος, πολλὰ συμπίπτειν δυνατὸν τῷ ἀνθρώπῳ κακὰ, τί τὸ κωλύον, μὴ καὶ πυρετῶν ἐπὶ σηπεδόνι αἴτια ἐνίοτε τὰ τοιαῦτα ὕδατα εἶναι, ἢ οἶναι δύνασθαι πιχαύσωμεν; ὅρα ΙΠΠΟΚΡ. περὶ ὑδάτων.

quod febris λοιμικὴ in vrbibus potius populosioribus, quam in rure grassari soleat; quae forte in vrbano aëre vitia lateant, paucis adhuc dispiciam. Animaduerti autem tum in illis vrbibus, quae portibus instruuntur, et ad quas nauium ob commercia magnus affluxus est, tum in illis, quarum situs est in locis humilibus, paludosis et vliginosis, esse hunc morbum longe, quam in aliis, frequentiorem. Vix autem dici potest, quantum corrumpant aërem siue hominum copiosius confluentium, et vitam spurcam et sordidam illam nautis, militibusve solemnem, agentium perspiratio, merciumque ob abundantiam fermentatione et putredine corruptarum effluuia, paludum et stagnorum tetri halitus et mortuorum non satis curiose humatorum putrilaginosus vapor. Adeo inquinati aëris noxas aegerrime vel sana corpora a se defendere valent, omnium vero minime iam alioquin languentia, et velut per idiosyncrasiam quandam ad hunc morbum apta, nec non cacochymica. Susceptus potius inhalatione, inspiratione et deglutitione vapor, et cum humoribus lymphaticis humanis remixtus, ipsorum, Prothei in modum, omnibus formis recipiendis aptissimorum indolem ita mire mutare et sibi sensim assimilare potest, vt aut putridi, aut alcalescentis; aut alius, neruorum virtutem prorsus infringentis, veneni vim, atque adeo malignae febris producendae efficaciam nanciscantur. Vt vero vel impurarum in aëre contentarum particularum potentia noxia eo agilior, corporisque humores ad corruptionem recipiendam eo proniores fiant, aëris varia subitaque vicissitudo efficit. Anni tempora nebulosa, pluuiosa, iustoque vel tepidiora, vel calidiora, vaporum aëreorum et copiosiore multitudine et perniciosiore mixtione simul afflictant; solidasque partes relaxando, fluidas vero inficiendo veletudinis pessimae fabri euadunt, inprimis si frigoribus vel nimiis, vel post tepores et aestus intempestiuis, coërcita antea perspiratione, acria et corrupta retenta, et aequabilis per vasa humorum distributio laesa fuerint. Vnde patere arbitror,

quod

quod ſupra perhibui, poſt hiemes gelidiſſimas, ver pluuioſum, aeſtatemque aut feruidiorem, aut cum pluuiis remiſſiorem λοιμικὴν graſſari epidemice ββ). Et quum ſub iniquis eiusmodi anni temporum iniuriis frugum plerumque triſtior ſit prouentus et maturatio, indeque forte nata annonae caritas homines ad victum inſuetum, durioremque ingerendum adigat; opificia autem, artes, et alii labores in adeo moeſta rerum conditione frigeant, pauperes aerumnoſo otio torpeant, non mirum eſſe poteſt, cur tot cauſis concurrentibus ad plures homines morbus idem diuagetur, quamuis nullus alterum contagio affecerit. Vno verbo, aut miaſma λοιμικῆς ex aegris ſuſcipitur, aërem perſpiratione ſua inquinantibus, aut ex aëre putridis quibusuis particulis referto, et in his eſt morbi naſcendi occaſio. Reliquae vero cauſae commemoratae videntur vires vel imminuendo, vel humores corrumpendo eiusdem admiſſionem adiuuare et efficaciam intendere. Et rariſſima omnino exempla erunt, vbi ex ſola humorum, omni blando principio orbatorum indigena corruptione λοιμικὴ progerminet.

§. VIII.

De λοιμικῆς diagnoſi.

Verum a cauſarum contemplatione ad ſigna veniamus, quae vel morbum dignoſcere, vel eius exitum praeſagire docent. Etſi autem ſuperius (§. II. et III.) ea omnia attulimus, ex quibus poſſit cognoſci, num λοιμικὴ, eaque vel ſimplex vel complicata adſit (§. IV.); nihilo tamen minus, quoniam haud raro cauſus et ſynochus vtraque imputris et putris γγ),

 nec

ββ) Cum anno huius ſeculi ſexageſimo nono Iaſſyi gelidiſſimam hiemem et admodum pluuioſum ver, ventis auſtralibus concomitatum, eſſemus experti, graſſabantur per aeſtatem huiusmodi febres, quas ipſa tandem inſequebatur peſtis.

γγ) ΓΑΛ. περὶ θεραπευτικῆς μεθόδα. βιβλ. ἡ. Θ. κεφ. 1. 2. 3. καὶ τὰ ἑξῆς. Ἐφ' ὧν γὰρ ὁ παροξυσμὸς εἷς ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι παντὸς διαμένων εἰς

nec non inflammatoriae febres tum a meticulosis aegris, tum ab imperitis aut astutis medicis pro febre λοιμικῇ habentur et venditantur, paucis adhuc, quomodo haec νοσήματα invicem discerni possint, exponere conabor. Ac primum quidem a simplicibus febribus inflammatoriis, καύσῳ et synocho vtraque simplicem λοιμικὴν vel illa virium subitanea, et sine causa manifesta nata prostratione, animique deiectione internoscere possumus, quae istis nunquam ab initio insunt. Facies aegri λοιμικῇ febre correpti, superius a nobis accuratius depicta, a facie aegrorum aliis omnibus febribus commemoratis laborantium prorsus abludit. Deest in febribus inflammatoriis, causo et simplici synocho halitus oris depravatio putrida aut foetida, et quamuis ista in synocho putrida itidem obseruetur, nihilo tamen minus in eo differunt, quod haec sine contagio ex manifestis diaetae et regiminis vitiis, saburram primarum viarum putrilaginosam mouentibus et sanguinem inficientibus nascatur, et lentius omnino malignitatis symptomata inferat. Quandocunque enim ab initio febris putridae malignitatis symptomata adiuncta sunt, pro simplici synocho putrida morbus nullo modo habendus est, sed λοιμικὴν complicatam esse eadem ipsa testantur. In simplici porro λοιμικῇ nunquam tantus adest ardor, tantaque siccitas, neque clamosum illud frigidi potus aërisque desiderium, fervidusve halitus oris, quae causi symptomata inseparabilia sunt δδ). Vt paucis dicamus, neque in agnoscenda λοιμικῇ sim-

εἰς πολλὰς ἡμέρας ἐκτείνεται, συνόχους ὀνομάζομεν τοὺς τοιούτους πυρετούς· ἔνθα προσέτι ὁ συγγραφεὺς ἀποφαίνεται λόγοις πιθανοῖς, ὅτι οἱ σύνοχοι πυρετοὶ ἐκ τῶν ἐφημέρων, καὶ ἡ φύσις αὐτῶν ἡ αὐτὴ τοῖς ἐφημέροις ἐστίν, ὄνομα δὲ ἀ ταυτόν — τινὲς μὲν γὰρ αὐτῶν ἐναργὲς ἔχουσι τὸ τῆς σήψεως σημεῖον, ἔνιοι δ' ἀδόλως. ἄρ' ἂν ἐκ τούτων ἀ μόνον ἰατρικῆς παντὶ μετέχοντι, ἀλλάγε καὶ τῷ ἁψαμένῳ αὐτῆς δακτύλου μόνῳ ὡς φασὶν ἄκρῳ εὔδηλον, ὅτι οἱ λοιμώδεις ἢ λοιμικοὶν πυρετοὶ πολλὰ τῶν συνόχων διαφέρουσιν.

δδ) ΑΡΕΤΑΙΟΣ περὶ θεραπείας καρδιακῶν. Επὶ δὲ τῷ καύσῳ κάκιστα σημήια, ξηρότης, ἀγρυπνίη, θερμασίη τῶν σπλάγχνων ὅκως ἀπὸ πυρός — — χεῖ-

ſimplici, neque in internoſcenda eiusdem varia complicatione, quae pro corporis diſpoſitione firma et plethorica, tenui, tenera et debili, vel ſaburroſa, bilioſa et cocochymica enaſci poteſt cum inflammatoriis, neruoſis, putridis, bilioſisque febribus nunquam errabit ille, qui bene recordatur eorum, quae iam §. IV. huius libelli, ſatis, vt putamus, perſpicue et late diſputauimus.

§. IX.

Prognoſis febris λοιμικῆς.

Circa praeſagiendum morbi exitum eo magis poterat errari, quo minus certa idem habet atque definita criſeos tempora, (§. III.) neque nimium forte dixiſſe mihi videor, ſi febrim λοιμικὴν inter morbos periculoſiſſimos referam εε). Nam et ipſe euentus id teſtatur, homines eidem ſuccumbere quam plurimos; et ratio ſuadet, difficulter eluctari poſſe aegros, quorum nerui; perprauo miaſmatis ſubtiliſſimi genere eneruati, ad reſtituendae ſanitatis laborem omnino torpent, et quorum ſaluti, ſalutis recuperandae maximum praeſidium, mentis tranquillitas et boni exitus fiducia deeſt. Quum tamen reperiantur, qui emergant, quosque inprimis ſeruat ſudor blandus, calidus, aequabilis, et vniuerſalis, quem aliquando ſtatim a ſuſcepto contagio, atque adeo in initio morbi morbum futurum arcentem natura excitat, et quem, modo corpus rite ad ſudationem ſuſtinendam aptum et praeparatum fuerit, medici et naturae vires vtiliter etiam in progreſſu

 et

— — χεῖρες καὶ πόδες ἄκροι ψυχρότατοι, ἀναπνοὴ εἰς ὅλκὴν μακρὴ. προθέκσι γὰρ ψυχρὸν ἠέρα, ἕνεκεν ἐκπνέκσι πῦρ. — — σφυγμοὶ μικροὶ, πυκνότατοι, τρομώδεες. τὰ αὐτὰ καὶ ὁ ΓΑΛΗΝΟΣ ἐν τοῖς ἰατρικοῖς αὐτῇ ὅροις φησὶ περὶ τῇ καύσῃ· καῦσος ἐςὶ πυρετὸς μετὰ πολλῆς πυρώσεως γινόμενος, ἀναςολὴν μηδεμίαν τῷ σώματι παρέχων, γλῶσσαν ἐπιξηραίνων, μελαίνων, ἐπιθυμίαν ψυχρῇ παρέχων.

εε) ΙΠΠΟΚΡ. ἀφορ. Τμ. β. ἀφορ. 19. τῶν ὀξέων νοσημάτων, ἑ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες, ἔτε τῇ θανάτῃ, ἔτε τῆς ὑγείης.

et declinatione morbi, nulli certo dierum numero adſtricti mouent, non omnis plane ſpes abiicienda eſt. Igitur ſi in corpus ceteroquin purum et ſanum, viribusque integris inſtructum contagium mox receptum fuerit, ſupereſt fiducia morbi breuiter ſuperandi. Sin vero corpus tenuium ſuccorum et viribus exhauſtum atque debile prehenderit, grauior et difficilior morbus inſtat. Sin porro aut ex plethora et diatheſi plogiſtica inflammatoriae, aut ex cacochymica et ſcorbutica diſpoſitione putridae, aut ex bilis abundantia bilioſae complicatio cum λοιμικῇ febre exſurgit, quoniam ad ſudorem illum vtilem minus praeparata corpora ſunt, et acre illud, volatileque miaſma non exturbari prompte poteſt, periculoſior vtique eſt aegrorum conditio. Neque vero putandum eſt, quemlibet ſudorem leuare maligni huius morbi vehementiam. Etenim vehementior, glutinoſus, inaequalis, partialis, frigidus, ζζ) vel frigoribus interruptus, in corpore vel debili, vel adhuc impuro ſtatim a morbi initio exortus vires potius adimit, quam reſtaurat. Nec niſi ille prodeſt, cuius ope pulſus plenior, mollior et pacatior redditur; et quo durante ſymptomata, a vi miaſmatis volatilis irritante aut ſtupefaciente producta, mitigantur et ſoluuntur. Saepe foetet ſudor, ſed modo ceterae adſint eiusdem bonae qualitates, eo certior index eſt miaſmatis iam emigrantis. Verſus ſeptimum circiter morbi diem erumpens talis optimus iudicatur a medicis noſtratibus peritis, tardius proueniens, etſi aliquando ſalutaris adhuc eſt, languorem tamen relinquit maiorem. Ex vrina parum certe prognoſeos peti poteſt; ſi tamen cum molli et vda cute, linguaeque madore, vrina turbida ſedimentum deiiciens redditur, eo felicior morbi exitus ſperari poteſt. Vrinae vero cito putreſcentes, vel iumentoſae, vel fuſcae et nigricantes peſſimi ominis ſunt ηη). Vomituritiones inanes, aut vomitus materiae non adeo corruptae,

ζζ) ὁ αὐτὸς Τμ. δ'. ἀφορ. 36. 40. καὶ 42.
ηη) ὁ αὐτὸς ἐν τῷ αὐτῷ τμήματι. ἀφορ. 68. — 82.

ruptae, ſemper ſymptomaticae ſunt, et ab irritante miaſmatis vi pendent. Egeſtiones autem largiores materiae bilioſae, corruptae, foetidae, per vomitum vel aluum, quae in ſaburra plenis corporibus occurrunt, ex morbi leuamine vel grauamine diiudicandae erunt. At enim vero ipſae vomitiones et deiectiones, quae leuant, hactenus tantum proderunt, quatenus ceſſantibus primarum viarum, inde a ſaburra liberatarum, turbis, perſpirationis et ſudoris ſalutaris excretio expeditior fit, pulſusque plenitudinem, mollitiem et aequabilitatem recuperat. Contra vero a diarrhoeis ex colliquatione, aut putrida reſolutione humorum prouenientibus, ſub quibus pulſus durior, minor, inaequalior, tremulusue; cutis ſicca et ardens, vel frigido, partiali, glutinoſoue ſudore vda; fauces aphthis refertae; vox tremula et minus diſtincta; ſermo delirus, ſtupor, carpologia, tendinum ſubſultus, aut conuulſiones fiunt, aut quae inſcio aegro tandem accidunt, non niſi mala morbi cataſtrophe portenditur. Haemorrhagiae narium in plethoricis natae largiores copiam et impetum humorum minuendo proſunt ϑϑ), et praeparant corpus ſalutari ſudori; parciores in teneris et cacochymicis aeque ac dyſentericae deiectiones reſolutionem humorum indicant. Mali ominis praeterea ſunt petechiae et aphthae, inprimis liueſcentes et caeruleſcentes, quae vtplurimum circa quintum diem ſine leuamine ii), aliquando citius, inprimis in dorſo, ſed eo peius progerminant. Aliquando ptyaliſmus nunc boni, nunc mali ominis accedit, quod vnice ex ſymptomatum mitigatione cognoſcendum eſt. Saepe ex aphthis ſymptomaticus eſt. Alia exanthemata cutanea absque pruritu praeſentia peſſimi praeſagii habentur. Ceterum infimi ventris intumeſcentia et durities, praeſente inprimis copioſo alui fluxu, frigoribus interpolati ſudores, extremitates frigidae cum

ϑϑ) ὁ αὐτὸς. Τμ. δ'. ἀφ. 60. ὁκόσοισιν ἂν ἐντοῖσι πυρετοῖσι, τὰ ὦτα κωφωθῇ, αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥυὲν, ἢ κοιλίη ἐκταραχθεῖσα, λύει τὸ νόσημα.

ii) Conf. NIETZKII Elem. Pathol. Ebrodun. 1766. §. 1556. et 58.

cum internarum partium ardore, inquietudo aegroti, anxia et assidua remotio stragulorum a pectore, deliria et stupor, oculi torui vel semiclausi, vel sine splendore insensiles, deglutitio laesa et sonora, singultus pertinax, manuum tremor, pulsus cum debilitate semper aucta vel increbescens, vel rarescens, haec, inquam, omnia vt in aliis morbis acutis horrendi sunt, minusque exoptati euentus nuntii; ita et in febre λοιμικῇ male ominata sunt. Mensibus aestiuis truculentior λοιμικὴ est, quam aliis. Aetas et sexus nullus a contagio huius morbi immunes sunt: nec dici potest infantesne an adulti, viriue an feminae aut periculosius laborent, aut felicius emergant. Nam hoc fere a singulari videtur cuiuslibet corporis idiosyncrasia pendere; quamuis negandum non sit, ineptam vel neglectam medelam corporibus etiam morbo superando idoneis perniciem afferre immedicabilem. Breuiter proinde in altera parte voluminis nostri auxilia indicaturi sumus, quae morbo praecauendo vel curando inseruiant.

CAPVT II.

FEBRIS ΛΟΙΜΙΚΗΣ THERAPIA.

§. X.

Λοιμικῆς prophylaxis.

Optimum factu est, vt morbus, si licet, arceatur. Id obtineri poterit, vitatis iis, quae corpus eneruant, vel impurum reddunt, et adhibitis auxiliis, quae vim miasmatis compescunt, aut idem iam susceptum opportune expellunt. Vitari igitur oportebit ingluuiem, dyspepta, crapulam, ieiunia nimia, euacuationes intempestiuas et drasticas, motum nimium, otia et pigritiem, immodicam venerem, animi commotiones vehementiores, omnium maxime moerorem, curas et sollicitudines, morbique metum. Magnae et subitae diaetae mutationes non facile subeundae sunt. Abstineatur a

carneo

carneo victu nimio, inprimis pingui. Munditiei ſtudeatur omni modo. Veſtes et linteamina corpori circumdata crebro mutentur et aëri exponantur. Perſpirationis conſeruetur libertas. Arceatur contagium mutato domicilio, ruſticatione, fuga conſuetudinis cum aegrotis, aut, ſi nullum horum liceat, frequenti renouatione aëris domiciliorum, ſuffimigiis reſinoſis, ſulphureis, aromaticis, vaporatione acetoſa; tabacini fumi vſu, maſticatoriis fragrantibus, frequenti ſaliuae reiectione, odoramentis ex aceto, vel aqua aromatica naribus, dum inter aegros quis verſatur, admotis; vitato aegrorum conſortio, quando adhuc ieiunus eſt ventriculus, aut a curſitatione madida cutis; vſu porro antiſepticorum, vt ſunt fructus horaei, ſuccus citri, limonada ſpirituoſa, acetum ſimplex aut camphoratum aromaticumque, oxycraton, vinum acidulatum. Similibus auxiliis occurri etiam miaſmatis ſuſcepti vehementiae et remorae poteſt, ſi quidem corpus ceteroquin ſanum ex nauſea et laſſitudinis ſenſu quicquam recepiſſe videatur. Intendunt enim et diureſin et diaphoreſin, et ſudorem adeo mouent ſalutarem, modo corpus apte foueatur, et ſimul potetur infuſum calidum herbae amaricantis, aut florum ſambuci, leniorisue aromatis.

§. XI.

Febris λοιμικῆς curatio.

Plurima ex his etiam apud aegros ſuadenda ſunt. Quo purior enim eſt aër conclauis, quantum fieri poteſt, ampli et alti; quo crebrius aceti vapore corrigitur; quo magis cavetur, ne impuris linteaminibus diu inhaereat aeger; quo ſtudioſius curatur, vt omnis ipſius diaeta ſubacida ſit, ex cerealibus excorticatis, pannatellis leuibus, fructibus horaeis

exſiccatis atque coctis petita; quo denique diligentius ſeruatur animus eiusdem tranquillus et erectus: eo felicioris curationis plenior fiducia eſt. Omnis autem therapiae huius morbi cardo in eo verſatur, vt humorum corporis corruptioni reſiſtamus, ſalutiferas excretiones modeſte iuuemus et viribus vitae debilioribus conſulamus. In ſimplici febre λοιμικῇ triplici huic indicationi ſatisfieri poterit iis, quae miaſma corpori inhaerens blanda expellunt diaphoreſi. Quo enim diutius illud in corpore retinetur, eo magis humores corrumpere, excretiones retardare et vires deprimere poteſt. Quapropter conuenit aegrum mox lectum petere et bene contegi, eidemque affatim bibendum offerri aut amaricantis herbulae, v. c. ſcordii infuſum tepidum oxymelite ſimplici acidulatum, aut ſerum lactis vinoſum tepidum et ſimili modo conditum; et quando his medicamentis ſolis nolis confidere, pulueris ſerpentariae virginianae parum cum nitro, aut acetoſi vegetabilis amaricantis, vel aromatici infuſi quicquam repetitis vicibus ingerendum erit. Quod ſi iam ſudor nullo modo interpellandus, et vltra viginti quatuor horas producendus cum leuamine et cum pulſus liberioribus ictibus promanat, eundem, ſine vllis aliis incitantibus, ſolo copioſo potu antea commemoratorum liquorum promouere licet; ſin vero, quod in robuſtis et plethoricis occurrit, hac medendi methodo calor ſiccus et praeter modum vehemens, pulſusque ſubdurus naſcatur, in tempore aegro in lecto remanente venaeſectio inſtituatur κκ). Si denique ſudore omne miaſma ex-

κκ) ΓΑΛΗΝ. περὶ θεραπευτικῆς μεθόδου. βιβλ. θ'. κεφ. 4. ἐπεὶ δ' ὅτ' ἐν τούτοις, ὅτε ἐν τοῖς ἄροις, ὅτε ἐν αὐτῇ τῇ τῆς θερμότητος ποιότητι σημαίνοντι σηπεδόνος ἐφαίνετο χυμῶν, ἐδόκει κάλλιον εἶναι τεμεῖν τὴν φλέβα, πρὶν ἄρξασθαι τὴν σῆψιν. ἀφαιρῶ τοίνυν αὐτοῦ τοσοῦτον ἐξεπίτηδες, ὡς λειποθυμίαν ἐπιγενέσθαι, μέχιστον τοῦτο βοήθημα πυρετῶν συνόχων ἐν ἰσχυρᾷ δυνάμει, καὶ τῷ λόγῳ καὶ τῇ πείρᾳ δεδιδαγμένος. = κεφ. 5. ἰάματα δὲ συνόχων πυρετῶν δύω ταῦτ' ἐστὶ μέγιστα. φλεβοτο-

expulſum eſſe malignorum ſymptomatum euaneſcentia teſtetur, aliquoties intra biduum circiter bis purgetur aluus rhabarbarino medicamento ſimplici, aut SYDENHAMI illo ex infuſione tamarindorum, foliorum ſennae, rhabarbari et mannae cum ſyrupo roſarum ſolutiuo. Poſt ſudorem enim lingua, vel antea pura viſa, ſordibus laxioribus tegi et oris halitus foetidus eſſe ſolet; quod medicum de primis viis euerrendis commonefacit. Vires inter ſudandum reficere lipothymiae forte iubent, quae tamen rariſſimae ſunt, cui indicationi vini generoſi cochlear, aut cyathus ſatisfacient.

Aliter paulo verſandum eſt, vbi vera diatheſis phlogiſtica aut febris inflammatoria cum λοιμικῇ complicata eſt. Quum enim alexipharmaca medicamenta et diaphoretica ſanguinem expandant et calorem augeant, efficient aut ardorem vehementiorem ſiccum, aut ſudores crudos non leuantes. Quamvis proinde etiam eiusmodi aegri lectis fouendi et potu multo diluente acidulato replendi ſint λλ), tamen, vt ſalutaris prouocetur ſudor, venaeſectio iuſta in brachio ad uncias octo vel decem requiritur. Depletis enim vaſis ſanguiferis ſudoris excretio liberior fit, eodemque proſpere ſuccedente, nauſeae quoque et viſcerum infimi ventris turbae mere ſymptomaticae et ſpaſticae ceſſare ſolent; idiopathicae vero, quae ex nauſeis cum lingua impura coniunctis, et ex inteſtinorum obmurmuratione aut dolore cum ore impuro μμ) intelliguntur, aut lene vomitorium νν) ex ipecacuanhae puluere vel

 infuſo

βοτομία καὶ ψυχρὸν, ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἐν παντὶ καιρῷ, φερέσης γε τῆς δυνάμεως, ἡδὲ τὸ ψυχρὸ πόσις, ὅταν μὲν ἐν τοῖς σφυγμοῖς, καὶ τοῖς ἔρροις, τὰ τῆς πέψεως ἐναργῆ σημεῖα βλέπῃς. Conf. quoque SYDENHAM. ſect. I. De febre continua p. 54. ſeq.

λλ) HVXHAM l. l. de malign. febre.

μμ) Conf. ANTONII de HAEN ration. med. Vindobon. 1760 part. III. Cap. I.

νν) ΙΠΠΟΚΡ. Τμ. δ'. ἀφ. 17. ἀπυρέτῳ ἐόντι, ἀποσιτίη, καὶ καρδιωγμὸς, καὶ σκοτώδινος, καὶ ϛόμα ἐκπικρέμενον, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει

infuſo, aut decoctum purgans tamarindorum mannato ſalinum expoſcunt, a quorum neutro in corpore caeteroquin vegeto ſudoris excretio retardabitur. Quod ſi tamen diatheſin inflammatoriam haec nondum ſoluerint, repetita venaeſectione opus eſt, atque deinceps ſublata hac diatheſi ſudorem liberius erumpentem calidis cardiacis et diapnoicis potibus ad ſymptomatum malignorum ceſſationem vsque, interpoſito tamen ad tertium circiter diem cathartico, adiuuare decet. Quemadmodum vero in corporibus iunioribus, plethoricis et viuidis, tempeſtate frigida, vel ſicca, flanteque inprimis borea, conſtitutio inflammatoria vnice expectari poteſt: ita ne nimiis venaeſectionibus, aut intempeſtiue ſuſceptis vires corporis ad ſalutarem diaphoreſin neceſſariae proſternantur omnes, ſedulo cauendum, aut ſi tale quid commiſſum fuerit, vino, cardiacis, cortice, ſerpentaria virginiana, immo etiam veſicatoriis vires reſuſcitandae et refocillandae erunt ξξ).

Quando febris λοιμικὴ cum febre inteſtinali putrida complicata eſt; omnium primo vltima haec, dein prima curanda eſt. Male enim ſudor cietur in corpore impuro et ſaburra primarum viarum pleno. Ea igitur vel vomitorio, cui in plethoricis venaeſectionem praemitti aequum eſt, ſatis cito operante, vel cathartico leniori educenda eſt. Quem in finem tartari emetici granum vnum aut alterum mannae ſolutioni addere, vel pulpae tamarindorum aliquot vncias cum tartari cremore exhibere, vel eius pulpae decoctum tartaro tartari-

μαίνει. ἐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ πρώτῳ τμήματι κατὰ τὸν εἰκοσὸν πρῶτον καὶ δεύτερον ἀφορισμὸν ἐντέλλεται τὸν ἰατρὸν ἐς ἀεὶ δεῖν προσέχειν τὸν νεῦν τοῖς τῆς πέψεως σημείοις, καὶ, ὅπη οἱ χυμοὶ ὀργῶσι, ταύτῃ ἐκβάλλειν πειρᾶν τὲ σώματος τὴν τῆς νόσε ὕλην. ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκε ἂν μάλιςα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων — πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμά. μὴ δὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ, κτλ.

ξξ) Vid. SYDENHAM. l. l. p. 54.

tartarisato, sale polychresto, nitroue, et in valde spongiosis viscido plenis et voracibus rhabarbarino, aut sennato stimulo locupletatum propinare iuuabit; donec aluus satis purgata sit, adiuncto vsu potus multi resoluentis et antiseptici, vt est ptisana hordei nitrato-oxymelita, vel auenae excorticatae tartari cremore acidularum decoctum; clysmatibus quoque interea nequaquam neglectis. Iam primis viis liberioribus aliquando sponte sudor leuans prorumpit, aliquando arte ciendus, sed et spontaneus arte iuuandus est; non commouentibus vehementioribus spirituosis, sed antisepticis, cardiacis acidulatis et leniter adeo nutrientibus potibus, quorum, nisi me omnia fallunt, praecipuus est serum lactis vinosum. Huic pomorum aurantiorum succum vt cardiacum addi, nil vetat. oo) Immo ad soluendos humores viscidos, si qui sint, iulapia cum sale polychresto, spiritu Mindereri, syrupo acetositatis citri, aquis destillatis, oxymelite simplici, et acidis dulcificatis propinare neminem pigebit. Eidem consilio potio Riueriana, salia alcalina fixa nimirum vel volatilia, aceto aut limonum succo ad saturationem vsque remixta et aquis destillatis cardiacis diluta, satisfacient.

Sin vero cum febre λοιμικῇ resolutio sanguinis putrida adsit, venaesectionem, resoluentia, salia volatilia a nonnullis maximi aestimata, immo incautum vesicatoriorum vsum cum HVXHAMO reformidarem. Humores enim fundunt, miasma autem et putredinem non corrigunt. Sed acida mineralia diluta et corticem peruuianum, aut camphoram cortice maritatam, nec non vini generosi vsum cum eodem HVXHAMO ad vires conseruandas et resolutionem humorum compescendam, haud interim neglecta alui ductione, per victum ex horaeis fructibus et clysmata obtinenda, recte adhi-

 beri

oo) Vid. SWIETENII Comment. super aphorism. Boerhaauii, Tom. II. p. 441. seq.

beri arbitror. Nam et corrigunt putredinem et humores condensant, et vires conseruant, ita vt salutaris tandem, iisdem, quos antea dixi, praesidiis iuuandus sudor promanare possit, qui etiam λοιμικῆς miasma exturbat.

§. XII.

Symptomatum mitigatio.

Verum non curandum modo, sed etiam symptomata, quae vrgent, lenienda sunt ππ). Sudores crudos et symptomaticos temperare decet aëre saepe renouato, stragulis leuioribus, cauta indusiorum mutatione, insessu extra lectum, si per vires licet, et potu acidulo frigidiusculo, aluo a sordibus liberata. Diarrhoeas nimias rhabarbarina compescunt, aut ne his quidem proficientibus corticis et diascordii FRACASTORII doses aequales, aut essentia illa HYXHAMI antipyretica, quae ex corticis peruuiani optimi pulueri sati vnciis duabus, flauedinum aurantiorum Hispaniensium sesquiuncia, radicis serpentariae virginianae drachmis tribus, croci anglici scrupulis quatuor, et coccionellae duobus, cum spiritus vini Gallici vnciis viginti, triduana digestione paratur, et drachma ad vnciam dimidiam sexta quauis hora, cum vino, elixiriiue vitrioli aliquot guttulis sumitur. Vomitum symptomaticum impurum potus diluens oxymelite conditus, et materiem euacuantia, sed illum symptomaticum sine sordibus, florum chamomillae infusum oxymelitum mitigat, aut enemata mucilaginosa et mellita vincunt, regimenque diaphoreticum; cephalalgiam frontalia acidula; singultum et cardialgiam sacculi amaricantium herbarum vino incocti et valde expressi, dein cordis scrobiculo oppositi, soporem et deliria rubefacientia et epispastica cruribus applicata leniunt.

Mini-

ππ) BOERHAAVE institution. medic. §. 1244.

Minime autem his remediis adeo fidendum eſt, vt etiam cauſam horum ſymptomatum indagare et tollere praetermittas. Nam ſublato miaſmate ſaepe ſponte ceſſant. Acceſſorias vero criſes, diarrhoeam, vomitum et diureſin ea ipſa adiuuant remedia, quae in curatione febris λοιμικῆς iam antea propoſuimus.

§. XIII.

Virium refectio.

Iam vbi malignitatis ſymptomata ceſſarunt, aluusque a ſordibus interea collectis liberata fuit apto cathartico; aeger reficiendus eſt diaeta antiſeptica, refrigerante et medicamentis vires reſtituentibus, ergo cibi ex vegetabili potius, quam animali regno petiti, ad quos vltimos lente, et ad aſſatos prae ceteris citius redeundum eſt, eupepti et mucilaginei acidi aut acido dulces, exhibeantur copia parca, ſed vicibus ſaepe repetitis, ſolidiores bene maſtucentur: coena ſomnum haud perturbatura, nulla aut modica ſit; vltra octo ad ſummum horas haud dormiatur, potetur aqua tertia vini rhenani parte remixta, parcioribus hauſtibus: motu exerceatur corpus, quem quantumque vires concedant; aluus libera ſeruetur, ad minimum omni biduo reſpondeat. Corticis peruuiani puluere, infuſo aut eſſentia illa HVXHAMI compoſita ſuccurratur digeſtionis et totius corporis viribus, animum vero oblectent grata et iucunda quaeuis, quae virium iacturam nouam induere nequeunt, factam reficere valent. Quas leges quidem omnes quis non videat id ſibi velle, vitanda eſſe, quae impurum, debile, nouisque morbis obnoxium reddant corpus? Sequenda contra, quae illud confortent et roborent.

§. XIV.

Epilogus.

Iam opus foret, addere aegrorum exempla quaedam. Verum ea aetate, qua e patria diſceſſi, ipſe aegros obſeruare non-

nondum didiceram; ab aliis autem narratos referre casus vix audeo, ne mancarum forte obseruationum augeam numerum. Satis igitur nunc esto, pro viribus depinxisse febris neruosae malignae veram speciem, morbum ciuibus meis horrendum et infestissimum, eumque ex veterum monumentis et ex SYDENHAMI, HVXHAMI et GRANTII doctrina suo modo illustrasse. Agnosco libelli tenuitatem ipse, spero tamen, eo maiori cum fiducia primi huius mei impetus practici beneuolam lectorum veniam, quo curiosius in posterum, dum licebit, popularium morbos obseruare, iisdemque non solum curandis, sed accuratius quoque describendis inuigilare constitui.

VIRO
CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
POLYCHRONIO DEMETRIO
S. D.
IOANNES MANIKATI SAPHRANI
M. C.

Meum erga TE animum, tametsi aliunde iam satis perspectum TIBI esse sperabam, AMICE AESTVMATISSIME, tamen enata tam pulchra occasione, faciendum mihi putaui, vt nouo eum documento TIBI significarem. Poscere enim a me videbatur, quae mihi in his etiam Oris Germanicis, TE cum est amicitia, vt de felici studiorum TVORVM successu, erudito orbi egregio specimine nunc probando, non in sinu solum, sed publice etiam laetarer; quod si intermitterem, profecto ipse mihi indignus viderer amore isto, quo TE adhuc complexum me esse non mediocriter gaudeo. Noli autem hic a me exspectare laudum TVARVM praeconia, quanquam ἀρετῆς μισθὸς ἔπαινος. Neque enim is ego sum, qui aliorum laudes pro dignitate satis exornare valeam, dicti illius inter Graecos vsitati probe memor: κύων ὑδρεύων, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐπὶ τῶν σῶν ἐγκωμίων φανήσομαι, neque TE mea commendatione indigere arbitror, cum ingenii ad scientias formati, do-

 ctrinae

ctrinae TVAE atque diligentiae assiduae, qua in excolenda Apollinis arte versatus es, alios habeas testes longe illustriores. Inter hos non vltimum sibi locum vindicat solida TVA disputatio, quam propediem defensurus es bonorum omnium plausum ferens certissime: haec namque vt satis eleganter concinnata est, atque ad indolem soli natalis accommodata, ita testis est TE lectionibus Praeceptorum TVORVM, quos aetas omnis venerabitur, et in primis illustris PLAZII, operam navasse quam diligentissimam. Hunc posteriorem vel ideo commemoro, quod TVEVM partim ob praeclaram, qua eminet eruditione ac dignitate, partim ob insignem, quo TE complecti dignatus est, fauorem, ingenue reuereris. Sed ne limites breuis epistolae excedam, propius nunc ad rem accedo. Gratulor TIBI, AMICE AESTVMATISSIME, ex animo vitam academicam cum laude transactam, et summos in Medicina honores iam in TE conferendos. Gratulor Genti nostrae de Medico tam spectatae eruditionis. Gratulor et mihi denique de Amico scientiis et honoribus ornatissimo. Deus O. M. conatus TVOS vltro prosperet, atque vt TIBI, aliis, miseris vero quam plurimis prodesse possis, clementer concedat. Vale, iterumque Vale. Dabam Halae ad Salam d. XXI. Mens. Sept. A. O. R. CIↃIↃCCLXXVIII.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE